



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... ab Aduentu usq[ue] ad Pascha ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

D[omi]nica 4. Aduen. Euangel. Miseru[n]t Jud[æ]i. Johannis. 1. Homili[æ]
tres

urn:nbn:de:hbz:466:1-35308

DOMINICA .IIII. 65

ADVENTVS.

Euangelium Iohannis .I.



IN illo tempore: Miserunt Iudei ab Hierosolymis sacerdotes & leuitas ad eum, ut interrogarent eum, Tu quis es? Et confessus est, & non negauit. Et confessus est, quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum, Quid ergo? Elias es tu? Et dixit, Non sum. Propheta es tu? Et

respondit, Non. Dixerunt ergo ei: Quis es, ut responsum demus his qui miserunt nos? Quid dicis de teipso? Ait, Ego uox clamantis in deserto: dirigite uiam domini, sicut dixit Isaias propheta. Et qui missi fuerant, erant ex pharisaeis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque propheta? Respondit eis Iohannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem uestrum stetit quem uos nescitis. Ipse est qui post me uenturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus ut soluam eius corrigiam calceamenti. Haec in Bethania facta sunt trans Iordanem, ubi erat Iohannes baptizans.

Isaie. 40.
Matth. 3.
Marci. 1.
Luce. 3.

Matth. 3.
Marci. 1.
Luce. 3.
Act. 1. 19.

Pincipio statim euāgelij huius meditetur & recogit
 ret apud se quilibet Christianus, quā cōmode spi-
 ritus sanctus, prouidus nimis: ille ecclesiae sanctae
 gubernator & rector, euangelium illud huic accommo-
 dauit dominicae. Die enim ab hinc octauo ecclesia no-
 bis uelut ob oculos proposuit, quā & laudaret & maxī
 mi fecerit Christus Iohannem, quōd adeo esset constans,
 tamēq; asperam uitam uiueret, & plus quā propheta es-
 set, imō & angelus dñi, ex testimonio Malachiae prophe-
 tae. At hoc iam hodierno euangelio adhuc tamen nobis
 Iohannem proponit, quomodo ille semet humiliavit, dī-
 cens se nec Christum esse, nec prophetam, sed tantum ba-
 ptizare in aqua, tantumq; uocem esse Messiae, dumq; do-
 minum magnificat, indignum se reputat qui corrigiam
 solueret calceamenti. & sic sua illa humilitate praēptū
 impleuit Sapientis: Quanto magnus es, humilia te in o-
 mnibus, & coram deo inuenies gratiam, quoniam magna
 potentia dei solius, & ab humilibus honoratur. Quod
 ipsum quoq; Sapientis praēptum nos ponderare, auri-
 busq; & animo sedulo concipere debemus, & nosmet sub-
 mittere & humiliare, sicut sanctus Iohannes humilime se
 subiiciebat coram domino Iesu Christo. Sed nos iam te-
 xtum adgrediamur euangelicum, illumq; auxilio diuino
 interpretemur. continet enim ille principio legationē
 Iudaeorum ad Iohannem, deinde interrogationem eorū
 sibi commissam, mox abnegationem Iohannis, postremo
 confessionem ministerij sui.

Ecclesi. 3.

1. ¶ Quod ad primum attinet, euangelium sic habet:
 Miserunt Iudaei ab Hierosolymis & c. Hic nos primū e-
 disseramus, cur tandem Iudaei ad Iohannem miserint. est
 q; haec fere cōmunitas ratio, quoniam Hierosolymis, ubi
 tunc studium florebat & doctrina legis ac prophetarum,
 fama uulgo iam increbuerat, Messiam statim uenturum,
 aut etiam iam iam uenisse. iam tum enim signum à patri-
 archa Iacob datū illis impletū erat, qm̄ ablato ab eis om̄i
 sceptro regali, dño subiecti erāt externo, magistratus ha-
 bebant sibi à Romanis delegatos, Pilatū, Herodē, Philip

Gene. 49.

pum &c. Neq; id tm̄, poterāt etiā colligere ex propheta Daniele hebdomadas illas uel ad ip̄um iā finē decurrisse, uel certe prope illū cōsistere. Ita em̄ Daniel prädixerat, **Daniel. 9.** Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populū tuū & super urbē sanctā tuā, ut cōsummet̄ prauaricatio, & finē accipiat p̄ctm̄, & delet̄ iniquitas, & addat̄ iustitia sempiterna, & impleat̄ uisio & propheta, & ungat̄ sanctus sanctorū. Nunc sciebant sane, se tot hic annos intelligere debere, q̄t dies hic continerētur, ex illa lezechielis prophetia: Diem pro anno, diē inquā pro anno dedi tibi. Cumq; iam adesse & penē ad euentū festinare uidebant tēpora, circūspiciebant, si quo loco Messias se exhiberet. **Iezech. 4.** Quod dū faciebant, ecce uidebant admirandā & stupendam illā sancti Iohannis natiuitatē, quā Lucas cōmémorat, asperitatē uitæ suæ intuebantur, morū cogitabāt sanctimoniam, grauitatē admirabant̄ prædicatiōis, quotidianum immēsa plebis meditabant̄ cōcursum, neq; illud mysterio carere credebant, quod iam inciperet baptizare. **Luce. 1.** Quæ om̄ia occasione illis offerebant, ut optimo adfectu secundū Origenē ad illū legationē mitterēt, intellectu sic ex illo, essēt ne Messias ipse uerus. **Origenes** Quis Chryso- **Chryso-**stomus eius est sententiæ, ut putet Iudæos nullo animo bono misisse ad Iohannē, sed tm̄ ex liuore & maleuolētia, q̄ uel sic tandē blanditijs apud eū efficerēt, ut ille Ch̄m se esse p̄fiteretur, siquidē libentius illū agnouissent suscepissentq; Messīā, quā ipsum Christū. Id ille suo more, ut omnia uerbis exornat elegātissimis, unde merito etiā aurei oris suscepit appellationē. hoc em̄ est q̄ Græce dicit̄ *Χριστοῦ σοφῶς*. Verū & literæ & omnibus euangelij huius circūstantijs sententiā Origenis nō paulo est cōuenientior, unde hac uia omnes cōmuniter ingrediuntur doctores, dicentes, Iudæos animo & adfectu bono legationem suam ad Iohannē misisse, quod ex quatuor etiā argumentis articulo proximo enarrandis colligi potest.

2. Textus ipse quoq; extendendus hic est, q̄ magnifica & plane honestissima ad Iohannē missa sit legatio, quæ sane honorē nunq̄ Iudæi detulere Christo, licet Iohānes discipulos suos ad ipsum miserit, sicut dñica audistis, p̄ximā. Et tñ q̄d Iohannē honorare uoluerit Iudæi, ex. 4. illis

apertissime licebit conijcere. Ex eorū qui mittebant magnificētia. Iudæi enim qui superiores erant, misere Iudæos ex summa illa & principe ciuitate Ierusalem, quæ & metropolis uniuersæ erat Iudææ, in qua sapientissimi doctissimi, potentissimiq; tunc degebant Iudæi, ubi & tēplum erat & cultus ille domini. Ex illa tam inclyta nobilissimaq; urbe, à uiris dominisq; grauissimis legatio ecce mittitur ad Iohannem, non abiecta & uilis, inquit Chrysofomus, sicut ad Christum Herodianos miserūt Iudæi, sed sacerdotes & leuitæ, & (ut sequitur in Euangelio) ij quoq; ex pharisæis erant, quæ honestissima tunc inter Iudæos erat secta, sicut adiuuante deo dominica uicesima tertia post Pentecosten declaraturi sumus. Vterius quoque non magnitudinem tantum considerare debemus legantium, legatorum, & urbis, unde hæc fiebat legatio, sed rei quoq; & negocij quod agebatur. hoc enim illis incumbebat munus, ut inquirerent, Messias ne ille esset. Honestissime itaq; tota hæc legatio & instituta est & absoluta, quod quidem Chrysofomus, Theophylactus, alijq; commemorant. Præter hæc omnia notatu dignissimum est, quàm hic grauius tentatus sit Iohannes. Sicut enim semetipsum tentauit diabolus, ut similis esset altissimo: Ego, inquit, in cælum conscendam, supra astra dei exaltabo solium meum, ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo: sic per serpentem tentata est Eua, ut semet quoq; compararet deo. ita enim serpens ait: Deus scit quod in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi uestri, & eritis sicut dii, scientes bonum & malū. Sicut ergo in cælo Lucifer, Eua in paradiso, ita hic Iohannes tentatur in deserto, ut similem se faceret deo, ut se Christum esse profiteretur, sicut hic Gregori⁹ inquit: Ex huius nobis lectionis uerbo fratres charissimi, Iohannis humilitas commendatur. Qui cum tantæ uirtutis esset, ut Christus credi posset, elegit solide subsistere in se, ne humana opinione raperetur inaniter super se. Sed cū non uult appetere nomen Christi, factus est membrum Christi, & c. Grauis itaq; & magna hæc fuit etiam ad blasphemiam adfectio, usq; adeo ut maius peccatum facere non potuisset aliquis in uniuerso mundo homo, quā hic

Chrysof.

Matth. 22

Iohānes
his graui
ter tetat⁹.

Isaię. 14.

Genesis. 3

Gregori⁹

Iohannes, si post tanta gratiarum sibi collata dona, deū tamen blasphemasset, seq; Messiam professus esset. Et hic tria mihi diligenter expende, constantiam Iohannis qui à ueritate abduci se passus non est, sicut eum Christus euangelio dominicæ proximæ commendauit.

2. ¶ Quàm non immerito sanctus Iohannes in supremum angelorum ipsius adeo Luciferi locum sit euectus. Cum enim in summa tentatione fortiter substiterit Iohannes, in qua Lucifer & succubuit, & non sine magna ruina concidit, merito ei Luciferi traditus est locus.

3. ¶ Quomodo omnes quotquot Messia sibi nomen & officium arrogârunt, corruerunt turpissime. Cum etenim per uniuersam iam diuulgatum esset Iudæam, tempus instare, quo ueniret Messias, nonnulli Messia sibi nomen temere usurpârunt, testante etiam Iosepho, sicut Theodas & Iudas Galilæus. Cuius historiam non deest no- Iosephus
Actuū. 5.
bis testimonium scripturæ biblicæ, quod quidē in Actis apostolorum uerbis docemur Gamalielis.

3. ¶ Porro iam textus narrat interrogasse illos, Quis es tu? ubi sane nec substantiā eius, nec genus quæsiuisse credendi sunt, cū norant utiq; filiū eū esse Zachariæ & Elizabæth. Sed quia ab infantia & tantum nō ab ipsis iam inde cunis, in deserto conuersatus & enutritus erat, iamq; im- Iohan. 1.
prouiso egressus, prædicare incipiēs quoq; & baptizare, confugientibus undiq; ex omni regione populis, quidā ueluti stupor mundi efficiebatur, nō temere officium illius inquirunt & dignitatem. Et cū quærere uellent, esset ne Christus, nolebant tamen id aperte proferre. Idq; adeo uerū esse, & illam eorum fuisse sententiā, uel ex eo liquet quod Iohānes respondit, Non sum ego Christus. Respō- Origenes
dit hic sane Iohannes nō interrogationi eorum, quia sic ultimo demum quis esset, elocutus est, sed adfectui. Vnde & Euangeliū, Confessus, inquit, est & nō negauit. Et cōfessus est, quia non sum ego Christus. Vbi tu Euangelistæ uerba excute nō sine pondere. Ecce em̄ tibi rem mirādā Iohannes ait, Non sum ego Christus. Euangelista dicit eum nō negasse. Nunquid em̄ nō & nos uulgo sic loquimur, ut si aliquis quempiā se nō esse dicit, eū negare dicamus? Quid igit Euangelista hic loquitur? Operè precium

est non litem morruam, sed succulentum illum spiritum considerare, quod & Gregorius facit. Confessio enim est, ueritatem puta, quando quidem Christus non erat, & non negauit. scilicet Christum, maxime cum id futurum erat Christum negare semet profiteri Christum, ille enim ueritas est. Et ita hic euangelista rem unam trifariam exprimit, uolens eo quoque excellentem declarare Iohannis constantiam, qui usque adeo a se illum reiecit honorem, quod eum Iudaei Messiam esse crederent, Vbi notandum tibi noris, praedicatorum posse tum uerbum tum sententiam repetere, neque id uel temere uel in molestiam fieri, sed ex certa potius causa, ut qui audiunt, melius capiant, magisque afficiantur: nonnunquam etiam in significationem, cuiusmodi est illud Isaiae, Sanctus sanctus sanctus, quo propheta trinitatem designare uoluit personarum. Itaque & hic illa euangelistae repetitio insignem significat Iohannis constantiam.

Isaie. 6.

4.

¶ Iohannes ubi Christum esse se negauerat, porro iam a legatis quaeritur, num Elias esset, plurimum enim illi Iohanni tribuebant, ex causis iam ante commemoratis. Cur autem Elias ne esset, interrogarint, ex Matthaeo liquet, ubi apostolis ad dominum dicentibus, Quid scribae dicunt quod Eliam oporteat primum uenire, ille respon-

Matth. 17

Malac. 4.

dit: Elias quidem uenturus est & restituet omnia. Hoc autem ex Malachia didicerant Iudaei, in persona domini dicente: Ecce ego mittam uobis Eliam prophetam, antequam ueniat dies domini magnus & horribilis. Sed hic iam iuxta Augustini & Gregorii sententiam quaestio exoritur, quo-

Augustin.

Matth. 17

Matth. 22.

Luce. 2.

modo Iohannes Eliam esse se negarit, cum tamen Christus eundem esse Eliam constanter asseruerit. loco enim paulo ante memorato de Iohanne sic inquit: Elias iam uenit, & non cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quaecumque uoluerunt. Tunc intellexerunt discipuli, quia de Iohanne baptista dixisset eis. Et alibi quoque de Iohanne loquitur: Si, inquit, uultis recipere, ipse est Elias, qui uenturus est. Quantum autem distant, Elias est, et, Elias non est.

¶ Verum haec iam quaestio uerbis angeli facile soluit, qui dixit: Ipse praebit Messiae in spiritu & uirtute Eliae. Spiritu itaque Elias erat: persona, quomodo interrogabant Iudaei, Elias non erat. Profecto enim sicut Elias praecursor erit Christi iudicis ante diem nouissimum, ita Iohannes pra-

cursor Christi fuit redemptoris prius quam iudicaretur. Et hoc est, quod sefellit latuitque Iudæos. Qui bene ex propheta obseruauerat illud, quia Messias ante se Eliam missurus erat, sed in hoc aberrarunt, quod non altius paulo nisi de uno cogitabant aduentu. unde factum est, ut Eliam purarint in propria persona uenturum esse ante Messiam. Esse autem geminum Christi aduentum, cum nos duabus superioribus dominicis aduentus comprobauimus, tum uero Malachias penitus modo introspectus apertissime demonstrat. ille enim capite tertio de aduentu Christi in templo loquitur. hocque in sua factum est incarnatione, cum ait: **Ego mittam angelum meum ante faciem tuam &c.** Deinde in quarto capite de aduentu agit in iudicium, ibique aduentus Eliam facit mentionem. Verum est ergo Iohannem & spiritum & officio fuisse Eliam, persona uero Eliam non fuisse, sicut quos iam supra citavi doctores, ad longum explicant, & ipse quoque uult Augustinus, quod quemadmodum Iohannes in spiritu Elias dicitur, ita cum rursus Elias uenturus est Antichristi tempore, eius quoque persona in spiritu dici possit.

Malach. 3

Malac. 4

¶ Nec multum dissimilem questionem etiam Chrysostomus dissoluit super eo, quod Iohannes a Christo propheta appellatus, semet tamen prophetam abnegat. Certe enim Christus ait: **Quid existis in desertum uidere? prophetam? Etiam dico uobis, & plus quam prophetam.** Illi enim de propheta inquirebant, qui per Moysen dudum eis promissus erat, **Prophetam de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi dominus deus, ipsum audite.** Huiusmodi propheta Iohannes non erat, sed solus Christus, sicut illum discipuli prophetam uocabant, quoniam propheta erat potens in opere & sermone coram deo & omni populo. Quis ex ipsis etiam scripturis comperio geminos esse prophetas, alios ita dici, quam instinctu spiritus sancti adnunciauerunt in consolationem eorum qui expectarunt de Messia & sacramentis in lege promissis, sicut & locutus est dominus, Lex & propheta usque ad Iohannem. Et sic bene dixit Iohannes, dum se negat esse prophetam. in hunc etiam finem eorumque a Iudeis interrogauerat, an propheta esset. Adhuc tamen omnes illi propheta dicunt, qui futura adnunciant inspiratione diuina, quod Iohannes quoque propheta extitit, sicut de eo suus cecinit pater: **Et tu puer propheta altissimi uocaberis.**

Chrysostr.

Matth. 11.

Deut. 18.

Luc. 24.

Matth. 11.

Luc. 9.

Et hic quoque propheta dicitur Iohannes, imò plus quam propheta quispiam ueteris testamenti, testante id Christo, quoniam presentem aliquem monstrare digiro plus est quam uenturum predicere. Quid quod de illo tota etiam Christianorum canit Ecclesia?

Paulus di
aconus in
hymno.

Cæteri tantum cecinere uatum
Corde præfago iubar adfuturum,
Tu quidem mundi scelus auferentem
Indice prodis.

¶ Quomodo Iohannes quoque Euāgelista propheta dici poterit, qui præ cæteris apostolis futura multa in sua descripsit Apocalypsi. Sic etiā prophetissæ fuerunt filie Philippi, teste Luca. Tales quoque prophetae plurimi extiterunt in primitiua ecclesia, quod quidem Paulus confirmat, qui etiam prophetare quosdam iubet. (Quamuis cõmuni sententiã ibi intelligat interpres) Ita propheta erat ille Agabus. Vt iam facile sit & expeditũ, colligere quomodo Iohannes propheta fuerit, & quomodo non, sed plus quam propheta, cum instar euangelistæ demonstrãrit, sitque in eo impletum, quod uaticinatus est Isaias: Primus ad Sion dicet, ecce adsum, & Ierusalem euangelistas dabo. Hæc iam dicta sufficiant. Deus nobis gratiam suã concedat, ut post hanc uitam transitoriam, illã ingredi mereamur æternam, Amen.

Actu. 21.
1. Cor. 12.
Eph. 3. 4.
1. Cor. 4.

Actuũ. 21.

Isaię. 41.

HOMILIA .II.

Quartæ dominicæ Aduentus.

Euāgelium illud sanctum, quod hodie lectũ est, declarat quomodo Iudei ad Iohannem miserint, in interrogantes quisnam esset, cumque ille respondisset se nec Christum, nec Eliam esse, nec prophetam, institerunt adhuc acrius, Quis es, ut responsum demus his qui nos miserunt? Quoque benignius subinde respondebat Iohannes, cõ grauius isti semper urgebant, cupientes extorquere ex illo, ut aliquid de se prædicaret sublimius, auctore Chrysofostomo, prætexentes etiam dignitatem eorũ a quibus missi erãt. Quãdo em̃ ille nullũ eorũ quæ interro

Chrysofost.

gauerant ipsi de se cōfiteri uolebat, neq; se uel Christum, uel Eliam, uel prophetam agnoscere, enixe tamen isti appetebant scire, quidnam ille de seipso, & quem se esse diceret. Quamuis sunt, qui ex uerbis sequentibus colligant, illos iam ferè Iohannem cōtempfisse, quasi qui magnus adeo non sit, ut illi crediderant.

¶ Iohannes responder: Ego uox clamātis in deserto, dirigite uiam domini. Responsum sane magnum, sed qd non ita intellexerunt qui missi erāt. Esse uocem Christi, sicut Iohannes, maius utiq; fuit, quā uel Eliam, uel prophetam esse. Ex prima enim Iohannis responsione patebat eum Messiam non esse, de quo Iacob dixerat: nec prophetam, de quo prædixit Moyses: sed uocē illam, de qua Isaias. unde merito conijcere debebāt, magnum sane esse eum, de quo etiam propheta uaticinatus esset. neq; enim ociatur spiritus sanctus, uel iota unum scribit frustra. Verum hoc legati isti non expenderunt, quod ex sequentibus satis patet. Considera tamen, quod pertinaciter ex Iohanne quærentibus Iudæis quis esset, immemor Iohannes suæ humanitatis, oblitus parētum & totius familiæ, animo se suo ultra omnem exaltat mūdum, conscendēs in sublimia, uox efficitur uerbi æterni, idq; per gratiam diuinam, qua ille sanctior fieret supra natos mulierum uniuersos. Ego, inquit, uox clamantis in deserto. Sed nos iam uerba planius explicemus.

Gene. 49
Deut. 4
Isaię. 40.

2. ¶ Iohannes se uocem prædicat esse, sed quo id fiat modo, mirari sane licet, ita facile intelligere non licet, Gregori^o. quamuis sanctus Gregorius illud enarrans, dicit: Scitis fratres charissimi, quia unigenit⁹ filius uerbum patris uocatur, & ex ipsa nostra locutione cognoscitis, quia prius uerbum sonat, ut uerbum postmodum audiri possit. Iohannes ergo uocem se asserit, quia uerbum præcedit. Ad uentum itaq; dominicum præcurrens, uox dicitur: quia per eius ministerium patris uerbum ab hominibus auditur. Et ut hæc homines etiam ex uulgo intelligant, cum hic de uerbo loquimur, nō externum illud uerbum oris intellige. illud enim uocem dicimus, sed uerbum hic accipe internum cordis, ut si iam in animo patrem meum cogitem, notitia hæc seu uerbum cordis, hoc loco uerbum

dicitur. Ita etiam tecum cogita, cum filium dei uerbum nuncupamus patris, eum ex paterni pectoris cogitatione, memoria nimirum illa fecunda, & uentre intellectus ab eterno natum. Sicut ergo uox, pectoris nuncius, angelus mentis & intellectus tui dicitur esse interpret, ita etiam Iohannes nuncius fuit & angelus Christi uerbi æterni, cum diceret: Ego uox clamantis. Illud uero quod de uoce diximus, ex quatuor deprehēdi & intelligi potest.

1. ¶ Quamuis tu in corde tuo quod locuturus es, prius cogites quam loquaris, ego tamen antea uerbi tui uocem audio, quam sciam quid cogitaris. Ita sane licet uerbum diuinum ante Iohannem fuerit ab æterno, uox tamen, hoc est, ipse Iohannes præcurso suo, sermone & baptismo, prius sensus & auditum adfecit tetigitq; hominum, quam uerbum etiam æternum.

2. ¶ Per uocem deniq; declaratur uerbum cordis, ita ut si quis sic se sentire dicit, tunc demū ego uerbum illius accipio internum. Et eodem quoq; modo Iohannis uerbum declarauit æternum, dum & testimoniū illi exhibet, & digito demonstrat, dicens: Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi.

3. ¶ Quemadmodum uox cito perit & cū sonitu transit, uerbum interim, imò conceptum pectore crescit, unde multis annis antea audita diutissime seruantur: ita & Iohannes, Me, inquit, uocem nimirum, oportet minui, illum autem, uerbum scilicet, crescere.

4. ¶ Sicut nihil sine uerbo uox prodest, ita nihil sine CHRISTO Iohannes. baptisimus quoque Iohannis, nisi accedente uerbo, profuturus nihil fuerat, ut ex ijs iā omnibus merito Isaias Iohannem, ipseq; semet Iohānes, uocem appellārit.

3. ¶ Neq; uero uocem tantum, sed & clamantis in deserto se Iohannes asserit esse, ubi obseruandum est pulchre, Iohannem non uocem clamantem, sed clamantis in deserto se dicere. Quis autem est ille qui in deserto mundi huius clamirat? CHRISTVS, q & in euangelio clamat: Si quis sitit, ueniat ad me & bibat. Clamat etiam: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Sed & iuxta Theophylactum CHRISTVS uo-

Johan. 3.

Actu. 19.

Johan. 7.

Matth. 11.

Theoph.

cans nuncupatur, eo quod aperte sine ulio uelamine ty-
 pico euangelicam adnunciauit ueritatem. Omnes enim
 secundum Theophylactum, qui in lege erant, submisse &
 humiliter sonabant, utpote qui nōdum peruenerant ad
 tempus euangelicæ ueritatis. quæ sane erat uocis ruditas
 in Moyse, quia lex obscura erat & non manifesta, neque
 per orbem adhuc resonabat uniuersum, sed tantum per
 Iudæam. At CHRISTVS in deserto hoc per totum mun-
 dum clamauit, idēq; per apostolos & prædicatores suos,
 quorum in omnem terram sonus exiuit, & in fines orbis
 terræ uerba eorum. CHRISTVS ergo qui in deserto mū-
 di huius clamitat, non Iohannes, non Petrus, sed nec ille
 tuus prædicator quem audis. tantum qui clamat, Chri-
 stus est. CHRISTI autem uox prædicator, qui & uerba à
 Christo relicta & quæ spiritus sanctus largitur, tibi pro-
 ponit, suaq; uoce denunciat. Posset hic latius induci, quo-
 modo CHRISTVS in hoc mundo clamauit orationibus
 Hebræ. 5. prædicatione, cum diceret: Qui habet aures au-
 diendi, audiat. uocatione quoq; hominū, ut ad se peccatis
 uenirent relictis, sicut & Lazarum resuscitabat mortuū,
 ut exiret foras.

1. Cor. 10.

Psalm. 75

Psalm. 18.

Luce. 5.

Marth. 11.

Johan. 11.

4. ¶ Quid hæc nobis uox adnunciare debeat, porro
 Iohannes insinuat, dicens: Parate uiam domino. Id quo-
 modo intelligas, pulchre te docebit sanctus Gregorius,
 inquit: Via domini ad cor dirigitur, cum ad præceptū
 uita præparatur. Vnde scriptum est: Si quis diligit me,
 sermonem meum seruabit, & ad eum ueniemus, & man-
 sionem apud eum faciemus. Quisquis ergo in superbiam
 mentem eleuat, quisquis auaritiæ æstibus anhelat, quisq;
 se luxuriæ iniquationibus polluit, cordis ostium con-
 tra ueritatem claudit, & ne ad se dominus ueniat, clau-
 stra animi seris uitiorū damnat. Quid multa? omnis ista
 eò uergit interpretatio, nos operibus bonis CHRISTO
 uiam dirigere debere. Quid enim est uia domini, nisi mā-
 data eius? Eam nos sane illi uiam præparamus, dum il-
 la seruamus, dicente Dauide: Viam mandatorum tuo-
 rum cucurri, cum dilarasti cor meum. Quapropter
 & Glossa hoc loco sic habet: Via domini est præcepta

Gregori.

Johan. 14

Psalm. 118

eius per fidem, per opera, per quæ dominus ingreditur. Et hic sane argumētum latet contra Lutheranos novos Manichæos fortissimum, qui pertinaciter liberum negāt arbitrium, non uidentes quā stricte iubeamur hoc loco **Proue. 16** co uias domino parare & dirigere: quod Sapiens quoq; nos admonet, dicens: Hominis est animam præparare. Vbi ergo nunc Lutherus, qui negat hoc hominem posse? Verum sane est, hominem illud uiribus tantum natura libus, sine gratia diuina nō posse, sed tamen, cum iam homo quod suum est facit, eum deus gratia sua non destituit. Misericors enim ille est. Quo modo intelligi debet **Jerem. 10.** illud propheticū: Scio domine, quia nō est hoīs uia eius, nec uiri est ut ambulet & dirigat gressus suos, scilicet sine auxilio gratiæ diuinæ, quæ nos nō deserit. Semper etem apertas & obuias habet deus manus, gratiam nobis suā porrecturus, modo nos parati semper essemus illam percipere. Itaq; & in Psalmo dicit: Hodie si uocem meam audieritis. Hodie, inquam, ubi tu notabis, præsentem tibi semper esse deum, sicut ipse quoq; per **Jhānem** clamat: **Apoca. 3.** Ego sto ad ostium & pulso. si quis audierit uocem meam & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipse mecum. Qui uicerit, dabo ei edere de ligno uitæ, & sedere mecum in throno meo. Et quid obsecro poterat spūs sanctus dicere apertius, nosq; docere clarius, quid nobis sit faciendum, nisi audire, aperire, uincere? Et hæc sane nos decet implere, non aures animumq; nouellis istis dare Christianis, Lutheri suisq; sequacib⁹, qui liberum nobis arbitrium extorquere conantur. Sed de his aliās.

¶ Quinto & ultimo. Cum hodie sancta mater ecclesia quartum recolit domini aduentum in corda fidelium per gratiam suam, nos quoq; meminisse huius decet. Quod quamuis deitas ipsa, ut est infinita, in omni sit loco & ubiq; presens per suam omnipotentiam, unde & per prophetam dicit dominus: Cælum & terram ego implebo. Et **Jeremi. 23** **Psalm. 138** David canit in Psalmis: Quò ibo à spū tuo? aut quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero ad infernū, ades. Cuius una hæc causa, quoniam in finitus est deus, qui cum fine careat, in omnibus est locis

sine comprehensione, omni tempore absq; permutatio-
 ne, in omnibus creaturis citra commixtionem. Peculiari-
 ter tamen in pijs hominibus hic quidem per gratiam, il-
 lic uero per suam gloriã est & felicitatem, sicut dixit Isai-
 as propheta: Cælum sedes mea est, terra autem scabellũ *Isaię. 66.*
 pedum meorum. In iustis enim, qui quidem quid aliud
 sunt quàm ipsum cælum? & habitat deus, & eosdem gu-
 bernat, qui uoluntati suæ deuoti sunt & obedientes. In-
 iustos uero, terram nimirum istam, conculcat, & ueluti
 scabellum rigore iudiciũ sui conterit. Et hoc ipsum est qd
 Sapiens dixit, thronum sapientię animam esse iusti. Quẽ
 etiam aduentum dei alacritate & gaudio plenum, quo il-
 le ad peccatorem quoq; uenire non dedignatur, ut eum
 iustificet, hodie commemorat recolitq; ecclesia: ubi oēs
 bonos piosq; adcurrere addecet, ut beneplacentes deo &
 grati inueniantur. Certe enim ille alius aduentus non
 est, quàm quem ipsi quotidie in oratione dominica ora-
 mus petentes: Adueniat regnũ tuum, hoc est, gratia tua *Matth. 6.*
 diuina, per quam tu in nobis dominaris & imperas, & nõ
 iste impius hostis per suas suggestiones. quod regnum
 illud est, de quo Christus apud Lucam: Regnum, inquit, *Luce. 17*
 dei in uobis est. Namq; in huiusmodi anima sancta deus
 uelut in sublimi residens palatio regnat, cum homo, quæ
 deus præcepit, facit: quæ uetuit, cauet. Quomodo de re- *3. Reg. 2.*
 ge Salomone legitur: Quoniã Salomon sedit super thro-
 num Dauid patris sui, & firmatum est regnum eius ni-
 mis. Salomon autem idem est quod pacificus. Pacificus *Thronus*
 ergo ille sedit super thronũ suum in corde hominis bo- *Salomo-*
 ni. Cum ergo deus in animam hominis non uenit, nihil *nis.*
 in ea aliud regnat, quàm peccatum, diabolus, caro & mũ-
 dus, ibiq; nulla requies, nullum solatium. De hoc aduen-
 tu apud Iohannem Christus ita dixit: Si quis diligit me,
 mandata mea seruabit. Et pater meus diliget eum, & ad
 eum ueniemus, & mansionem apud eum faciemus. Vide
 hic & obserua, deum quoq; patrem uenire ad hominem,
 deum filium, & deum spiritum sanctum. Tunc autem ue-
 nit, cum mandata eius seruantur, cum uere diligitur. &
 ubi charitas, ibi spiritus sanctus, imò deus ipse est. Quã- *Johan. 14*
 obrem & Paulus dixit: Charitas dei diffusa est in cordi- *Roma. 5*

bus nostris per spūm sanctum, qui datus est nobis. O q̄ felix, o q̄ sancta & beata est anima, quæ ita Christum suscipit, quæ domus dei, quæ templum dei, quæ habitaculum dei efficitur. Videte iam charissimi, ut omnes hospites huiusmodi efficiamini, ad hæc sancta natalitia Christi festa. Et ad hoc diuersorium nō est quod multo cellaria uestra uino impleatis, complures reboantes excipiatis rusticos. Tantum cor habere pœnitens & contritum. illud enim deus non despiciet, cum ipse dicat quoq̄, Fili, præbe cor tuum mihi. Facili contentus est uictu CHRISTVS, neque uult apparatus magnificentum. humilia te tantummodo, & statim ueniet, apud te diuersurus. Vide obsecro quàm facile adducere queas ad te maximum illum & potentissimum dominum, cum quo omnis tibi felicitas, omne bonum, & omnis aduenit gratia dei.

¶ Meditare itaq̄ gratiam illam immensam quæcunq̄ es anima pia, eiusq̄ temet fac participem. An non mitissimus ille CHRISTVS est, ut qui non dedignatur se in animas sanctas demittere planeq̄ transferre? Hoc est, ut & prima dominica diximus, quod maiores nostri, homines nimirum & Christiani & pie religiosi, aduentum tam sancte obseruârunt, ut digni haberentur imminenti iam festiuitate puerum Iesum spiritualiter in cordibus suis suscipere & parere. Recte etiam adhuc canit ecclesia illud Psalmistæ: Prope est dominus omnibus inuocantibus eum, omnibus qui inuocant eum in ueritate. Et deinde: Veni domine, & noli tardare, relaxa facinora plebis tuæ Israel. In collecta quoque: Excita domine potentiam tuam & ueni, & magna nobis uirtute succurre, ut per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Et in inuitatorio: Vigilemus animo, in proximo enim est dominus deus noster. Quomodo omnia cætera cantica ad aduentum pertinent domini in animam hominis. O quàm felix anima est, quæ tantum hospitem suscipit. Sed quid inter dicendum admirari incipimus? Refrixit heu iam charitas multorum. Pleriq̄ putant aduentum se bene trāssegisse, dum nouis se exornant uestibus, dum splendide epulantur & bibunt, saltant & cantillant, puerumq̄ CHRISTVM can-

1. Cor. 3.

Psalm. 50
Prouer. 23

Sapient. 7

Psalm. 144

Matt. 24

tilenis suis ita demulcent, ut angeli omnes doleant, solus applaudat diabolus. Væ uæ illi, qui dominum Iesum spiritaliter non suscipit. Profecto enim (quamuis cum dolore etiam uix dicimus) uerum est tamen, quod Bernardus ait: Maius de CHRISTO uenturo adhuc conceperit desiderium patres illi antiqui, quam nos iam habeamus de eo cum dudum uenerit. Vos ergo in CHRISTO dilectissimi, uocem sectemini in deserto clamantis, parantes uiam domino, rectas facientes semitas dei nostri, ut & ipsi remissionem impetretis peccatorum, gratiam quoque ipsius, & post hanc uitam, illam adsequamini sempiternam, Amen.

Bernardus

HOMILIA III. DOMINICA

quarta Aduentus.

Euangelista Iohannes euangelio hodierno testatur Iudæos ad Iohannem legationem misisse, honestissimam, interrogasse quædam, illumque uicissim respondisse, se nec CHRISTVM, nec Eliam esse, nec prophetam. Post hæc infert Iohannes: Et qui missi fuerant, erant ex pharisæis. Vbi quamuis Origenes putat aliam hanc fuisse legationem à superiore, siquidem priores quæ supra audita sunt interrogarint tantum, eaque cum audissent legati pharisæorum, quæ iam sequuntur inquisierint: tamen plerique omnes ita sentiunt doctores, ut, idem omnes illi fuerint legati. ac proinde Augustinus ait: Ex pharisæis, id est, principibus sacerdotum, qui quicquid non cœpissent, ipsi contemnebant. Ideoque in baptismo etiam offendebantur, non ignari tamen, illum iam olim in Elia & Elisæo præsignatum, cum Elia tolleret pallium suum, eoque inuoluto percuteret aquas, quæ diuisæ sunt in utranque partem. Nōrant illi etiam ex Iezechiele aliisque prophetis, fore ut baptisimus aliquando inolesceret. tantum in hoc uelut ringebantur, unde illam suam haberet baptizandi potestatem Iohannes. sciebant enim ex scripturis uenturum baptismum, de sola ergo dubitabant potestate, unde ueniret.

Origenes

Augustinus

4. Reg. 2

Iezec. 36.

Johan. 1. Sequitur: Quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neq; Elias, neq; propheta? Hæc autem immensa est fidei nostræ & sacramenti potissimum baptismi cōfirmatio, quoniam isti futurum aliquādo baptismum ex scripturis cognouerant. poterant etiam colligere neminem sibi sumpturum munus illud baptizandi tantum, nisi qui eius rei potestatem haberet diuinitus, quo magis mirabātur, unde illud esset quod baptizaret Iohannes, nec tamen propheta, nec Elias, nec Christus esset, ac propterea à baptismo eum deterrere uolebant, quoniam ex officio ad eū non spectaret. Verū immobilis in sua constantissime perstitit humilitate Iohannes. Expendunt etiam hic doctores sancti, quomodo Iohannes in illa sua grauissima tentatione per humilitatem tria maxima uicerit peccata. siquidem peccatum superbiæ in tribus præcipue consistit, ut si quis nimium sibi arrogat potestatis, sapiētiae etiam aut sanctimoniam uitæ. Et Lucifer quidem in cælo peccauit, summam sibi uolens usurpare potestatem contra deum, idq; dum molitur, decidit e cælo. Fua, quando sapiētiam sibi cupiebat uendicare diuinam, expulsa est ex paradiso. Antichristus quoq; dum sanctimoniam uirtutum sibi attribuet, interficietur in aëre à Christo spiritu oris sui. Iohannes autem ille noster in singulis illis tribus grauius tentatus, triumphauit fortissime per humilitatem suam. Nam in magnitudine potestatis tentatus est, dum illi habere eum pro Christo uolebant: in sanctitate uitæ, cum Eliam credituri essent: in illuminationis & sapiētiae magnitudine, dum eum de prophetiæ spiritu quærebant. Verum hæc omnia fortis & inuicta illa uicit triumphatrix humilitas.

Baptism⁹
Johānis. ¶ Secundo. Nunc uicissim responsionem audi Iohannis: Ego, inquit, baptizo in aqua. Baptismus suus in aqua tantum erat, non etiam in spiritu sancto: ideoq; baptismus Iohannis, sacramentum non erat, neq; ex se gratiam conferebat spiritus sancti. sed nec sufficiens erat ad uitam æternam, siquidem peccatum non delebat. Atq; ideo qui baptismo Iohannis baptizati iam erant, demum baptizati sunt baptismo Christi, sicut illud Hieronymus
Hierony. super Ioelem testatur, & in epistola de uni⁹ uxoris uiro.

Ambrosius quoque in libro de spiritu sancto. Nec desunt nobis sacra scripturae super hac re testimonia. Nam ipse hic Iohannes, & paulo apertius apud Matthaeum, suum istum, qui in aqua erat, baptismum discernit a baptismo Christi in spiritu sancto. Patet idem ex Actis apostolorum, ubi dicit Lucas: Paulus dixit ad discipulos, qui erant Ephesi: Si spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eum: Sed neque si spiritus sanctus est, audiuimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: In Iohannis baptismo. Dixit autem Paulus: Iohannes baptizauit baptismum poenitentiae populum, dicens, in eum qui uenturus esset post ipsum ut crederent, hoc est, in Iesum. His auditis, baptizati sunt in nomine domini Iesu. Ecce hinc apertissime liquet, baptismum Iohannis, qui in aqua tantum erat, nec sufficientem, nec aliquod fuisse sacramentum: illosque qui eo baptizati erant, baptismum demum suscipere debuisse Christi in aqua & spiritu sancto. Et Iohannes quoque in baptismo suo aquae tantum mentionem facit apud Marcum, Iohannem & Lucam.

Hinc sequitur, baptismum, quo uel hodie baptizatur infans, meliorem esse, quam si ab ipso Iohanne baptizaretur in Iordane. Ratio, baptismus Iohannis sacramentum nullum esset, sicut nunc est baptismus quo paruulus baptizatur. Vbi intueri decet non personam ministri qui baptismum subministrat, sed ipsum (de quo & Iohannes dixit: Hic est qui baptizat) Christum Iesum. Itaque hic etiam non Iohannis magnitudinem intueberis, quae sane dignior nostratibus est sacerdotibus, sed illum supremum, qui baptizat nunc & semper per ministros suos sacerdotes, Christum Iesum. Et errat igitur, & omni contradicit scripturae Zuinglius, baptismum Iohannis aequare uolens baptismum Christi. Deinde sequitur, etiam haereticum aut schismaticum baptizare: & dum modo ille forma utatur atque intentione ecclesiae catholicae, puerum ab eo baptizatum, sacramentum baptismi uere suscipere. Ratio, Non est quod ministrum aspicias & consideres, siue ille probus sit, siue impius, uel etiam Christianus aut haereticus aut Iudaeus. Christus est qui baptizat, columba baptizat. satis est ministrum adfectum habere & intentionem illud

Ambrosi.

Iohan. 1.

Matth. 3.

Actu. 19.

Marc. 1.

Iohan. 2.

Actu. 3.

Matth. 3.

agendi, quod ipsa agere intendit sancta ecclesia, materia quoque & forma uti debitis. Contrarium quoque dicere, error est & hæresis Donatistarum, qui baptismum hæreticorum reiciebant: contra quos cum hinc inde in libris Augustini. suis ualide scripsit Augustinus, tum uero fortissime in libro de baptismo contra Donatistas, qui & per Concilium condemnati sunt Africani in Carthagine. Quauis hoc uerum est, quod cui catholici sacerdotis copia non negatur, hæretici in baptizando officio uti non debet.

¶ Quæris autem: In eadem adhuc dubitationis nauisto, in qua Iudæi erant. Si baptismus Iohannis nec sacramentum fuit, nec peccata remisit, ad quid profuit, aut cur tandem ille baptizauit? Respondeo baptismum Iohannis tunc temporis bonum & utilem fuisse, licet sacramentum non erat, potissimum ad tria. Primum, Ad significandum baptismum CHRISTI, quem eisi multæ præfigurauerant ueteris testamenti figuræ, baptismus tamen Iohannis & clarius præfigurabat & expressius, adeo ut hunc ab illo etiam Paulo adhuc deinceps erat discernere necessarium. Secundo, Non præparabat tantum, sed paulatim etiam assuefaciebat homines ad CHRISTI baptismum. sicut enim in sermone, ita & in baptismo præcursor erat CHRISTI, id quod ipsa secum important etiam uerba Iohannis: Ego baptizo in aqua ad penitentiam, ueniet alius fortior post me, hic baptizabit uos in spiritu sancto & igni. Tertio, Utiles quoque fuit baptismus Iohannis ad declarandum CHRISTVM, sicut ipse ait: Ut manifestaretur in Israel, propter ueni ego in aqua baptizans: & ut latius ibi indicat, apparitione spiritus sancti in specie columbæ, uocemque paterna declaratum esse IESVM fuisse filium dei. Et usque adeo utilis erat baptismus Iohannis, ut qui eo baptizati erant, facilius adducerentur ad baptismum & fidem CHRISTI. Quapropter hic Iohannes uocem se nominat clamantis

Johannes Baptista. in deserto, dirigite uiam domini.

¶ Et hinc iam apparet ratio, cur Iohannes ille Baptista dicatur, & non uel Petrus uel Paulus, cum tamen apostolorum baptismus perfectior fuerit. solus enim ille Augustini. CHRISTVM baptizauit, quo etiam baptismo Christus

tactu suæ mundissimæ carnis dedit uim regeneratiuam aquis. & quia sic Iohannes caput ecclesiæ CHRISTVM baptizauit, merito ab uniuersa ecclesia baptistæ nomine salutatur. Poteft tamen hæc quoque secundum Augustinum causa adsignari: Quia quamuis baptismus Iohannis sacramentum non erat, baptismus tamen Iohannis erat, & nihil aliud nisi Iohannis baptismus: apostolorum autem baptismus non suus, sed CHRISTI erat, qui denique uerus est sacerdos, præterquam quod baptizat, etiam gratiam infundens. Apostoli itaque alio baptismo utentes, baptistæ dicti non sunt, sicut Iohannes à suo baptismo, illud enim CHRISTI erat, hoc Iohannis. Et quod dabatur à Paulo, & quod dabatur à Petro, CHRISTI erat: & quod datum est à Iuda, baptismum Christi erat.

August.
tracta. 5.
sup Johā.

3. ¶ Ut ad euangelium redeamus, pergit Iohannes dicere ad Iudæos: Medius autem uestrum stetit quem uos nescitis. Quomodo autem medius steterit CHRISTVS, Chrysostomus exponit: quoniam decens erat, ut Christus in populo tanquam unus ex multitudine uersaretur, qui ubiq; mansuetudinem & humilitatem doceret. Et quoniam humilis erat CHRISTVS, ut magis uideretur, ideo lucerna accendebatur, sicut de eo CHRISTVS ipse loquitur: Ille erat lucerna ardens & lucens. Sed & in reliquo populo CHRISTVS ad baptismum uenit, ut uel sic medius steterit inter Iudæos. Quasi diceret, Aduentum expectatis Messiæ, ecce iam adest, & quidem in medio uestrum. Quamuis enim uerbum patris naturam adsumpsit humanam, filius tamen dei semper permansit: nec unquam in essentia sua mutatus est diuina, licet etiam tunc CHRISTVS steterit, & nunc quoque stet medius inter deum & peccatorem, atque ut Paulus inquit, Mediator unus dei & hoim homo CHRISTVS IESVS. Verum intellectus hic spiritualis esset & mysticus. Secundum literam ergo dicimus Iohannem hic humilitatē declarasse Christi, q̄ tāta erat, ut illū Iudæi nō agnoscerēt, unde Iohānes dixit, Quē uos nescitis. o deū ut altissimū, ita tñ occultū, ut de eo Iohānes ipse diceret, Et ego

Chrysost.

Augustin.
Johan. 5.

2. Tim. 2.

Johan. 1.

nesciebam eum. Verba hæc Iohannis si secuti fuissent Iudæi, ipsi quoque ad agnitionem Christi uenissent sicut Iohānes.

4. Porro iam de Christo loqui pergit Iohannes, dicens: Ipse est qui post me uenturus est, qui ante me factus est, cuius ego non sum dignus ut solua eius corrigiam calceamenti. Mitto hic impiam Arrianorum inductionem, tantum catholicum illum sectabor intellectum, sicut Cyrillus, Chrysostomus, & Augustinus faciunt. Iohannes cum ait, Qui post me uenturus est, non de natiuitate loquitur, siquidem iam natus erat Christus, sed de illius aduentu ad prædicationem: quoniam aperte prædicare tunc demum incepit Christus, cum iam Iohānes in carcerem esset detrusus, ut quidem Marcus scribit: Postquam traditus est Iohannes, uenit Iesus in Galilæam, prædicans euangelium regni dei. Idem quoque Matheus habet, ut sit iam ille plane sensus uerborum Iohannis: Qui post me uenturus est, scilicet ad prædicandum, ante me factus est, hoc est, maior digniorque me habitus est, adeo quod odio quasi mouebatur discipuli Iohannis, quoniam & plures homines baptizaret Christus, & maior ad ipsum confluere copia. Et sic ante Iohannem factus erat Christus, in excellentibus nimirum gratiarum & uirtutum donis & populi autoritate. Quod autem subiungit Iohannes, se indignum esse, qui corrigiam soluat calceamentorum Christi, profunda illa Iohannis humilitas est, indigniorem se reputatis, quam qui minimum Christo exhibeat ministerium, quo loquendi modo etiam uulgi utitur, dicens: Indignus es qui calceum tangas homini. Quamuis uerbum illud in se quoque uerissimum est. Omnis enim homo quantumuis, pibus, bonus, sanctusque existat, deo tamen collatus, quid aliud quam puluis est & cinis? Quod uero illud quidam ad coniugii conantem referre diuortium, sicut in Deuteronomio commemoratur, hic omitto. Sanctus tamen Gregorius & alii spirituales hic uestigantes intellectum, dicunt: Quoniam pes Christi sua est diuinitas, per calceamentum autem adsumpta humanitas designatur: corrigia calceamenti, est ligatura mysterij, unio illa hypostatica. Iohānes igitur soluere corrigiam calceamenti eius non ualet: quia incarnationis eius mysterium nec ipse inuestigare sufficit.

Marc. 1.

Matth. 4.

Iohan. 3.

Gregori.

quid est ergo dicere, non sum dignus soluere corrigiam calceamenti eius, nisi aperte & humiliter suam ignorantiam profiteri? Quis em̄, inquit Augustinus, comprehendere poterit intelligentia sua supernaturale & antehac inauditū miraculū dei, ubi deus homo factus est et homo deus? Et sic illum Psalmi locum nonnulli intelligunt: In Idumæā extendam calceamentum meum. Hoc est, in gentilitatem predicabo etiam calceamentum meum, humanitatem nimirum meam extendam & adnunciabo.

Augu. tit.

Psalm. 59

¶ Ad extremum iam locum ostendit euangelista, ubi testimonium huiusmodi Christo dederit Iohānes, dicēs in Bethania id esse factum. Bethaniam non illam intelliges Lazari, ubi manducauit dominus in ædibus Simonis leprosi, ut Matthæus & Marcus testantur. Sed ex sententia Bedæ, alia adhuc fuit Bethania prope Iordanem, ubi baptizabat Iohannes, cui aliud nomen tribuere quidam uolunt nouatores. Sed hæc ad scholas pertinent, quæ Vaticanum constanter legit Bethania. Euangelista Iohannes in ipso euangelij sui principio refert Iohannem Baptistam missum esse in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.

Matth. 26

Beda.

Johan. 1.

Quod nonne fideliter hic impleuit ille? sane eius rei testimonium uicissim ei præbuit Christus, unde nec immerito tanta hic diligētia locus ipse indicatus est. Verus enim testis, circumstantias etiam loci ita cognitas habere debet, ut cum opus est, ostendere possit. In Bethania illud esse factum, ubi & Iohannes baptizauit, inquit euangelista, & CHRISTVS adeo ipse est baptizatus. Atque ideo plurimum sanctum CHRISTI sepulchrum Hierosolymis, emerso mari, inuisuat, tandem etiam ad Iordanis terminos, perficiscunt: & in eodē se abluūt, in remissione peccatorum suorum. Nos quoque deus lauet per gratiam spiritus sancti a delictis nostris omnibus, & uitam concedat sempiternam, Amen.

Johan. 5.